



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 4. An in Domini voluntate constituerit sanitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

gelista. Totum hoc caput diuersis diebus ieiunii, aut ante ieiunium apud Syros in Ecclesia legebatur. Initio enim haberetur, *Lectio ad vesperam Dominice secunda ieiunii*, & ad vers. 14. *Lectio ad Syro textu oblationem septimanae precedentis ieiunium*. & ad vers. 23. *Ad vesperam Dominice tertia ieiunii*. Quae ieiunium cum in titulis testamenti Syriaci, tam apud Witmanstadium, quam in Regiis, & Complutensibus Bibliis habeantur, sitque in Syriacis Ecclesiis quotid. anus vsus, & ieiunii Ecclesiastici consuetudinem probant; & sectarios illius disciplinae insectatores, prisco more, & lege confutant. Cum dicit Christum descendisse de monte, non connectit haec cum concionibus, sed cum illis quae cap. 4. dixerat de miraculis factis, nunc doctrinae subiicit necessariam à miraculis confirmationem. Noua enim dicenti non creditur, nisi & mira facienti. Vt pseudoprophetae omnis occasio praecidatur; itaque hos fructus doctrinae, miraculorumque & morum Euangelista proponere instituit, vt appareat, vnde autoritas diuina Euangelio sit quaesita.

VERSUS I.

Cum autem descendisset de monte secuta sunt eum turba multa: Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens, Domine, si vis, potes me mundare.

QVÆSTIO I.

Quomodo plenus lepra?

§.1. Si totus lepra oblitus fuit, vt Luc. 5. 15. *plenus lepra*, non fuisse immundum quidam censent: nam Leuit. 13. 12. sin autem effluerit, vt omnia complectatur, negat scriptura immundum. Barradius lib. 8. cap. 2. de leuiore lepra, sine scabie ista interpretatur. Tota controuersia ad Leuiticum pertinet. Huc itaque non est accersenda. Plenus lepra dicitur, qui Leuit. 13. 9. describitur. *Plaga lepra. &c.*

Plenus dici potest, non quia omnia omnino sine vilo interstitio infecta fuerint, sed quia per totum corpus sparsae maculae: ita plenus vlcerebus Lazarus, nec tamen nulla penitus parte sine vlere fuit. Ita atria pleniorum, campos plenos floribus dicimus. Lepra ipsi tum plena dicitur, cum per omnia seuit, vt variolae, alique morbi qui sparguntur. Seneca lib. 3. c. 4. quæst. natur. Pædam vocat cutis ex albo varietatem, aut s. v. riligio dicitur. Herod. in Clito. vocat *λεπροει* albam. In Iudæa frequens erat. Hinc fabula apud Tacitum lib. 5. histor. de Iudæis ex Aegypto, ob lepram pulsus, ab Elephantibus nonnulli dilingunt, verum lepra nomine omnia illa complectimur.

QVÆSTIO II.

Quomodo adorabat?

§.1. Magna prorsus humilitate & affectu. Marci 4. genu flexo *προσκύνησεν αὐτῷ*. & Luc. 5. 12. *καὶ προσέκυρτο πρός αὐτόν*.

Adorat velut Deum, vt etiam Tossanus fateri cogitur, & religiose, inquit, adorabat eum, quem oculis tanquam Deum intuebatur. Totum Christum aut obiectum adorationis, licet confusa sit Deitas, quæ distinctio, quando vsui fuerit, à nobis adferretur. Hic constat, nec humanitatem separatim adoratam, & cultum religionis in diuinitatem natura sua tendentem, ad humanitatem non nisi improprie, & ob coniunctionem cum hypostasi diuina pertinuisse.

Egregie Athanasius hanc leprosi orationem perpendit: *Quis igitur tam decor est, vt Domino ita loquatur; abesse à corpore, vt te adorem? aut quis ita impius est, vt cum Iudæi propter corpus dicat ei: cur tu cum homo sis Deum te facis? Atqui non istiusmodi moribus leprosus erat: adorabat enim Dominum in corpore, eumque Deum esse persentiebatur his verbis dicens, Domine, si vis, potes me mundare. Neque ob carnis arbitratu esse creaturam Dei verbum, neque quia verbum erat opifex rerum, carnem pro nihilo habuit, quam in-*

ditus erat; sed vt in re creata, creatorem subsistentem adorabat, idoque mandatum est.

QVÆSTIO III.

An hoc miraculo diuinitas Christi probetur?

§.1. Miracula diuinitatem Christi maxime ostendunt. Non enim modo propria virtute illi fecit, sed aliis quoque faciend. potestatem concessit. Christum propria virtute fecisse constat Matth. 9. 6. & 7. Hier. v. 13. & 15. item 6. 9. v. 28. 29.

Potestatem dat Matth. 10. & Luc. vlt. obicit Christoph. Oltorodius Samosatenianus in Instit. Christianae religionis. [Si Christus, inquit, ideo verus esset Deus, quia mirac. lap. traiecit, sequeretur etiam omnes quotquot vnquam miracula ediderunt, vnum illum & æternum Deum esse. Hoc autem quia manifeste falsum sit, liquet do quoque inde constare, verba Psalmi à Trinitati non recte intelligi, quippe quorum sensus sit non quod nemo miracula edere possit, praeter vnum illum ac verum Deum, sed quod omnia vera miracula à solo Deo proficiantur, & ille solus potentiam à seipso habeat eiusmodi miracula patiendi. Ac proinde si quis ex miraculis Christi, diuinam in Christo naturam probare vellet, eum demonstrare oportet, Christum à seipso potentiam illa patiendi habuisse. Quod autem nihil à seipso fecerit, aut etiam facere poterit, Christum ipsum de se verbis dilecti testari Ioh. 5. v. 19. & 30. ac proinde Christum nulla miracula à seipso, id est, propria virtute, sed patrem illa omnia per ipsum patrallè Act. 2. v. 22.]

Respondeo, Socinum quidem Oltorodii patriarchae in Christo aliam vim faciendi miracula agnouisse. lib. de Christo inuocando pag. 72. & 73. Apostolorum quoque in eo potissimum diuersa à Christi potestate fuit, quod ipse virtute patris in se manente res fecit & facit, illi vero virtute quidem eadem, sed non in ipsis, verum in Christo residente faciebant, in cuius nomine operabantur. Idque multis probat & concludit. Ex quibus praeter multa alia quæ adferri possunt apparet, Christum potestatem in seipso habuisse ea faciendi, quæ faciebat, quantumvis admiranda opera, atque vt d. cederetur voluisse. Et paulo post. Ex quibus manifestum sit, inquit, virtutem, quæ miracula ab Apostolis fiebant, non in ipsis Apostolis fuisse, sed in nomine & potestate Iesu Christi omnia facta fuisse.

Molinaus putat hoc miraculum ab eo Marci 4. differe, verum ratio etsi aliqua apparet, nullo tamen modo firma est. Cum vero Christus propria virtute, & voluntatis nutu, ordinem rerum à Deo constitutum mutare potuerit, quod nec Angelis nec Dæmonibus concessum est, sed Deo soli creatori, qui facit mirabilia magna solus, Psal. 71. 18. Dubitare non possumus Deum esse: verum postea pluribus.

QVÆSTIO IV.

An in Domini voluntate constituerit sanitatem?

§.1. Magnam Domini potentiam agnoscit leprosus; vt si vel i, mundare possit. S. Athanasius, contra

N 4

Art 2

Modus san-
nandi Deū
inducat.

Arianos ad Adelphium hec ipso ex loco Christi probat diuinitatem, vt dixi. Leprosus adorabat Dominum, eumque Deum esse presentiebat, vsus his verbis: *Domine si vis potes me mundare.* idem Chrysost. Euthym. Theophylact. alii sentiunt. Non tamen ex sola genu flexione aut in faciem prolapsu id colligendum est. Nam Orientales magnatibus eiusmodi honorem habebant, sed omnes circumstantiæ considerandæ sunt. Honorem illum Domino habet; deinde eius voluntatem hac in re authenticam, & sui iuris agnoscentem. Non petit orari pro se, non aliud, sed voluntatem sanandi sufficere indicat. Quin etiam tacite Christum eordis cognitorem proficitur. In eius enim potestate sanitatem collocat. Si vis, nempe scis me plagam illam meruisse, & causas ipsas nostri, totum vbi committo. Itaque & Christus sola voluntate vbi est; dixitque. Volo. Vt Deus olim in mundi creatione, dixit, & facta sunt. Quin etiam S. Ambrosius omnia perpendens. Volo, inquit, dicit propter Samosatenum, impe-

Si blasphem-
rat propter Arium, tangit propter Manicheum. Itaque &
masset, mi-
raculū in-
hibuisset.

rat propter Arium, tangit propter Manicheum. Itaque & masset, miraculū inhibuisset. Deum & hominem esse illa historia docet, posse autem quicquid velit, solius est Dei. Eundem in modum S. Chrysostomus ratiocinatur. Si vero, inquit, non bene ille dixisset, sed blasphemiam fuisset in illo quod dixerat, cobibenda fuerat virtutis operatio.

Fides non
erat specia-
lis fiducia.

S. 2. Non erat fides, ipsa leprosi fiducia, qua sciret certo, sibi nullum peccatum vnquam imputatum iri. Verum eius obiectum erat: Christum posse, si vellet, lepram curare: Ideo conditionata propositione virtutis, de voluntate non constabat, nisi cum Dominus diceret. Volo. Hinc Caluinus non modo de euentu incertum fuisse leprosum scribit, verum etiam dubitat, an orauerit? an vero ostenso morbo omnia diuina dispositioni reliquerit?

Etiā monet Piscator bona temporalia petenda cum exceptione, si ipse dare velit; ita hunc egisse. Hic ergo non erat fides voluntatis, sed omnipotentiae, non ergo fiducia Caluiniana; illa enim certa est de iustitia sua, & perseuerantia, & voluntate Dei erga se, atque adeo impetraturam quicquid petierit certo nouit.

Sectario-
rum sen-
tentia nō
est hic fi-
ducia.

Quæ fuerit leprosi fides Melancthon etiam melius, quam recentiores exponit. [Iam quod dicitur leprosus. Domine, si vis potes me mundare. Palam est, hunc credidisse, quia dicit potes. Quod vero dicit, si vis, est reiicientis voluntatem suam in voluntatem diuinam. Sic enim orandum est omnibus nobis, & hac fiducia, quod speremus Christum daturum, quicquid petimus, modo in spiritu, hoc est, si fuerit e re nostra, & gloria Domini. Perinde ac puer qui a patre charo aliquid petit, non dubitat, quin sit impetraturus, & tamen omnia patris relinquit iudicio, si conueniat, quod petit.]

Ex quo constat fidem leprosi non fuisse de voluntate sed potentia Christi. Ridiculi igitur sunt qui hinc fiduciam fabricantur.

Voluntas
sola in a-
ctione lau-
datur.

S. 3. Voluntarium obsequium esse oportere, S. Ambrosius enarratione in Psal. 1. David ex hisce probat. Prior voluntas, secunda operatio. Denique vt Dominus dicit sibi: Si vis potes me mundare: respondit: Volo, mundare. quo ostendit operationibus nostris voluntatem prauam esse debere. Denique lex voluntarios querit, quia lex Domini irreprehensibilis est conuertens animam. Nemo autem conuertitur, nisi qui voluntate conuertitur. Voluntarius autem abscondit, & sensum furatur laboris.

QVÆSTIO III.

Cur tetigit leprosum?

S. 1. Leprosus rectus in lege prohibere sinit, vt aliam rem mandatum. Non tamen in eo peccatum fuit, neque enim eo proposito lex lata vide-

tur. Leprosos enim valde agros curare, portare, mortuos sepelire oportuit. Sed lex pœnalis erat, vt qui tetigisset, esset immundus. Immunditiam ne legalem quidem Christus contraxit, qui alium tangens eum mundauit. Ita Abalens. alii que. Constat enim Tobiam cadauera portantem & sepelientem non modo non peccasse, sed gratum Deo officium præstitisse. Neque adeo effrons erat Phariseorum impudentia, vt ex eo contactu Christum immunditie contaminatum calumniarentur, quo experientia docebantur omnem lepræ molestiam, scdritatemque penitus absterfam fuisse.

VERSUS 4.

Et ait illi Iesus, vide nemini dixeris.

QVÆSTIO I.

Cur dicere alicui vetuerit?

S. 1. Causas varias adferunt interpretes, quos inter Basil. ad Cæsarienses omnes fere complexus est. 1. Ne videretur vanam gloriam consecrari, cuius quidem in ipso nullum erat omnino periculum, sed nobis modestiam exemplo monstrare voluit. Ita Origen. hom. 5. in diuersos. Chrysost. hom. 26. Ambrosii Luc. 5. sic Matth. 9. duobus cæcis præcepit, & parentibus, quorum filiam excitauit, sic quoque Hieron. Ep. 20. ad Thersiam de vera circumscriptione. Iubet illum nemini narrare suam virtutem: secretum quoque diuina maiestatis, quod mysterium incarnationis occultum, ab eo qui sanatus fuerat, vult fletu, ne gloriam quasi homo querere videretur, quam alio more & mystificatione suscepit. 2. Vt fugeret inuidiam sacerdotum. 3. Concursum vitæ, sed de hoc silentii præcepto suis dato, singularis causa est. Sacra lege cautum erat Leuit. 14. Ne qui leprosus indicatus esset a sacerdotibus, quamuis omnino per sanaretur, in hominum confortium, sine eorum iudicio admitteretur. ea causa, & suos ad eodem iudices Christus remittit. Periculum porro erat, ne si ille impetitu gaudio præterisset iudicium, cum sacerdotes odio Christi, vel non declararent sanum, vel recluderent plura examina subitum, si enim ad miraculum suscitati Lazari obliterandum, eum cogitabant occidere, cur non hic eodem modo, vel falso iudicio, vel alia fraude hoc miraculum calumniarentur? Nemini igitur dici voluit, donec iudicio sacerdotum absolutus, curati, & familia esset restitutus. Alii quoque eam causam rationem adiungunt. Non a quouis, sed Apostolis prædicationi voluisse, sed omnes miraculorum testes esse poterant, neque enim Apostolico se muneri ingerebant, si miracula in se facta referrent, eaque laudarent. Caluinus & Beza, id prohibuisse, ne turba obstupescens miracula non satis spatii Christo ad docendum daret. Contrarium tamen apparuit. Quo enim plura miracula videbant, eo cupidius, feruentiusque sermones audiebant. Vt enim ad verbum audiendum accederent, ideo miracula faciebat. Adde etiam illud, cum tot eodem tempore & tam confusam plebem a miraculo, um petitione, si vnus ille miraculum tace et.

S. 2. Marcus vers. 45. Eum coepisse vbique prædicare ideo quidam negant serio prohibendum; Caluinus iure damnamus, ait, quod non paruerit Christi mandato. Serio prohibitum non dubito, sed donec sacerdos ostendisset, ille tamen amore Christi inuito, & gaudio præceptum transgressus est, qua in re, quale & quantum peccatum admiserit, solus ille nouit, qui scrutator est cogitationum, & intentionum cordis.

QVÆ